

» Dein A. R. P. provincialis exhibuit ei totam epistolam, dicto fr. Pio per ipsum scriptam, de cuius subscriptione prius interrogaverat, an non hanc epistolam totam ipse scripserit. Resp. Verum est, hanc epistolam scripsi totam.

» 9. Interrog. Cur ergo hactenus tam audacter negaverit esse suum characterem? Reus vero confusus diu non respondit, tandem dixit: Non putavi meum esse characterem.

» A. R. P. provincialis eum tanquam suspectissimum de perjurio objurgavit, et ad dicendam veritatem, declinandamque gravissimam Dei offensam omnibus modis cohortatus est: postea accepit epistolam signatam litt. B., a reo Bibianæ scriptam, et rursus cuncta præter subscriptum nomen, vel mediam lineam tegendo interrogavit, an non hic esset character ipsius? Reus nesciens, utrum non ut prius induceretur, fassus veritatem respondit. Ita, hic est meus character.

» Tunc A. R. P. provincialis totam exhibuit epistolam dicens: Ecce Iuxta propriam confessionem hæc epistola a reverentia vestra est scripta; reus vero videns initium epistolæ sonare charissima Bibiana, totus expalluit, quod illico advertens A. R. P. provincialis cum indignatione interrogavit quare superius jurato negaverit, se unquam scripsisse Bibianæ, reus totus confusus et timidus tacuit et mussitavit. A. R. P. provincialis vero urgebat, ut cito responderet. Resp. Non fui recordatus. Ob quod responsum tanquam perjurum rursus increpatus, et de novo admonuit ad dicendam veritatem.

» 10. Interrogat. An non plures alias epistolas puellæ Bibianæ scripserit? Resp. Non recordor, me sæpius quam semel scripsisse.

» Jussus dein ab A. R. P. provinciali, ut bene se recolligat, etcategorice respondeat. Resp. absolute: Non sæpius scripsi.

» Dein A. R. P. iudex accepit epistolam signatam litt. C, et cunctis occultatis exhibens partem lineæ interrogavit, an non hic esset character ipsius? Resp. Ita est. Ad quod A. R. P. provincialis denuo discooperiens totam exhibuit epistolam: Ecce iterum tuum characterem, reus se rursus confusum videns tacuit.

» 11. Interrog. Qua fronte prius iterum perjurare et dicere ausus sit, unam tantum

se scripsisse epistolam. Reus autem erubescens tacuit.

» 12. Interrog. An præter has duas non alias scripserit Bibianæ epistolas, et quot? Resp. Scripsi etiam alias: quot autem, non amplius scio.

» 13. Interrog. Quid scripserit eidem? Resp. Non amplius recordor.

» 14. Interrog. An nunquam scripserit eidem inter alia etiam hæc verba: Charissima Bibiana, collige cuncta, quæ misi, et ita compinge, ut portatu difficilia non sint: Præpara etiam reliqua ad abitum. Consultum enim est, ut adhuc ista septimana simul discedamus; quia ob varias mussitationes in conventu periculosum iudico diutius manere: audio enim, superiorem in secreto jam indagare. Certe si manifestus fierem, in perpetuos carceres conjicerer: severissime enim apud nos omnia puniuntur. Reus utique advertens, præter alias, etiam litteras hunc tenorem continentes, fuisse interceptas, noluit respondere: Cum autem urgere- tur a A. R. P. provinciali; rogavit pro facultate parum discedendi, et urgenti naturæ satisfaciendi, A. R. P. provincialis non obstante præsumptione, quod hac occasione tantum intendat lucrari tempus, ad recolligendum se, quomodo vellet respondere nihilominus facultatem dedit, ita tamen ut duobus sociatus iret et statim iterum rediret.

» 15. Emansit autem fere per quadrantum, et rediens denuo interrogatus: Num verba illa scripserit. Resp. potest esse, quod scripserim. Ad quod A. R. P. provincialis non tantum potest esse, sed certum est, quod scripserit: Ita enim habet illa epistola, quam a se scriptam esse, jam fassus est: quam etiam ex mandato A. R. P. provincialis alta voce legi; reus vero totaliter confusus tacuit.

» 16. Interrogatus, quid miserit puellæ. Resp. Misi eidem quædam munuscula spiritualia.

» 17. Interrog. An nihil aliud? Resp. Nihil scio.

» 18. Interrog. An nunquam fuerit deprehensus solus in sacristia. Resp. Fui deprehensus.

» 19. Interrog. Quid fecerit, vel quæ quæsierit ibidem? Resp. Volebam accipere stolum ad benedicenda numismata.

» 20. Interrog. Quando potuerit intrare clausam sacristiam? Resp. Jam erat aperta.

» 21. Interrog. Quo tempore fuerit deprehensus in sacristia? Resp. Noctu media decima.

» 22. Interrog. Quomodo tunc potuerit esse aperta, cum illo tempore semper alias sit, et debeat esse clausa? Resp. Nescio causam.

» 23. Interrog. An prius, antequam adiverat sacristiam, jam sciverat esse apertam? Resp. Non scivi.

» 24. Interrog. Si prius non sciverat, sacristiam esse apertam, quare adiverit illam, sciens, illo tempore semper esse clausam? Resp. Volui videre, an non esset aperta.

» 25. Interrog. Cur tam importuno et nocturno tempore accesserit? Resp. Non potui dormire, ideo cogitavi, quod vellem benedicere numismata.

» 26. Interrog. An clausum post se sacristiam in illa jam existens, vel apertam reliquerit? Resp. Semetipsam clausit, janua violenter ad seram prolabente.

» 27. Interrog. An sciat fr. Homobonum perdidisse aliquando clavem ad suam cellam? Resp. Recordor.

» 28. Interrog. Quis aperuerit ei dein collem? Resp. Ego aperui.

» 29. Interrog. Quomodo potuerit aperire? Resp. Habui patronum.

» 30. Interrog. Unde acceperit clavem regiam? Resp. Inveni eam.

» 31. Interrog. Ubinam, et quando eam receperit? Resp. Jam pridem inveni illam in platea.

» 32. Interrog. Quare ausus sit tandiu retinere, et cur non potius exhibuerit P. superiori? Tacuit reus aliquandiu, compulsus tandem respondit: Ut in casu necessitatis illa uti possem.»

Super aliis articulis promiscue, præcipue super quarto, septimo, et octavo.

» 33. Interrog. An non subinde solus accesserit altare Beatæ Virginis Mariæ? Resp. Accessi subinde.

» 34. Interrog. An de die, vel de nocte? Resp. Subinde de die, subinde de nocte.

» 35. Interrog. Cur solus de nocte? Resp. Majoris devotionis causa.

» 36. Interrog. An etiam, quando interior janua jam fuit clausa? Resp. Ita.

» 37. Interrog. Quis aperuerit ei? Resp. Ego aperui clave regia, quam, uti jam dixi, inveni,

» 38. Interrog. An clave hac etiam aperuerit clausam januam sacristiæ, quando illam pro stola accessit? Resp. Ita.

» 39. Interrog. Quare ergo superius responderit januam sacristiæ fuisse jam apertam. Resp. Erravi.

» 40. Interrog. An sciat, in hoc conventu, furto ablata esse monilia Beatæ Virginis Mariæ consecrata, et calices e sacristia. Resp. Audivi.

» 41. Interrog. An sciat, a quo furtum hoc sit factum? Resp. Non scio; nec enim sum custos harum rerum.

» 42. Interrog. An non sit suspicio de uno vel altero? et de quo? Resp. Ego de nullo suspicor, quid alii suspicentur, ignoro.

» 43. An non fuit incarceratus? Resp. Fui, proh dolor!

» 44. Quare fuerit incarceratus? Resp. Nescio, quia nullius mihi conscius sum; unde injuste me carceravit.

» 45. An semper manserit in carcere? Resp. Non: effregi carceres.

» 46. Interrog. An habuerit adjuvantem se? Resp. Neminem habui, nisi solum Deum, innocenti assistentem.

» 47. Interrog. Quomodo solus destitutus omni instrumento, carcerem tam arcte clausum effringere potuerit? Resp. Et narravit totam speciem facti, videlicet, etc.»

Scribitur hic species facti ab ipso narrata.

» 48. Interrog. An nemo ipsum impeditur, aut detinuerit? Resp. Fr. Justus accurrebat et apprehendens me detinere voluit, sed juvante Deo projecit ipsum ad terram, et sic evasi manus ejus.

» 49. Interrog. An percusserint invicem? Resp. Non.

» 50. Interrog. Unde ergo vulnera fr. Justi? Resp. Nescio: potest esse quod cadens in terram, alliserit caput ad lapides.

» 51. Interrog. Quare effringens carcerem aufugerit, cum innocens timere sibi non debuisset? Resp. Etiam innocentes subinde damnantur.

» 52. Interrog. Quo aufugerit? Resp. Ad puellæ Bibianæ domum.

» 53. Interrog. Quare ad hanc domum? Resp. Quia notus eram ibi.

» 54. Interrog. Quandiu ibidem manserit? Resp. Per octo dies, donec nemp fr. Fidelis N. et fr. Angelus N. me iterum duxerint ad monasterium.

» 55. Interrog. An in illa domo etiam alii homines habitent? Resp. Nemo, præter unam ancillam Bibianæ.

» 56. Interrog. An illa ancilla sciverit ejus præsentiam? Resp. Quia aperuit mihi januam.

» 57. Interrog. Quomodo ausus sit tandiu solus morari in domo inter puellas? Resp. Sunt honestæ puellæ.

» Et quia nox ingruerat, non valens A. R. P. provincialis examen rei omnino complere, statuit illud pro tunc terminare animo tamen id ipsum opportuno tempore iterum reassumendi, et perficiendi. Hinc rei depositiones, si et in quantum acceptatis, etc. Ego depositiones reo prælegere, ipse vero sibi prælectas subscribere jussus, et dimissus est salvo jure, etc. Acta sunt hæc die, mense, anno, loco. — Ego fr. Mævius ita deposui. Ego fr. N., assessor. Ego fr. N., assessor. Ego fr. N., minister provincialis. Ego fr. N., actuarius. »

436. *Quid faciendum, si reus ad interrogatorium aliquod respondere recusat vel non absolute respondet, sed dubie? Potest puniri et torqueri; et quomodo?* — Quamvis juxta dicta superius in primo statim constituto, seu quando prima vice constituitur reus, possit judex exigentibus circumstantiis de proximis indicis, ac ipso delicto directe interrogare, tamen id plerumque fit in secundo, et tertio constituto, ubi ex depositionibus testium, et responsionibus a reo in primo constituto jam datis facile formari possunt interrogatoria reum summe stringentia; præsertim, quia plerumque in primo constituto malitiosi rei sæpius mentiuntur, et plura committunt perjuriam, quæ judex in secundo, et aliis constitutis reo exprobare, indeque ad veritatem edicendum zelose adhortari debet. Continuatur ergo processus in secundo constituto, ut sequitur.

« Die, mense, anno, loco. Secundo vocatus et constitutus comparuit coram A. R. P. provinciali fr. Mævius, et charitative, ac zelose simul monitus, ne cum tantis mendaciis et perjuriis, uti in primo constituto responderet, et gravissime Deum offenderet, tali enim modo causam suam non meliorem, sed deteriorem efficeret, Deumque, et judicem sibi redderet inimicum, etc. Dein jussus ut de novo deponeret juramentum de dicenda veritate, tacto pectore illud præstitit, et respondit, ut sequitur.

» 1. Interrogatus. An cogitaverat interea periculosum suæ animæ statum, et gravitatem peccati, ac perjurii perpendens resolverit sincere in posterum et veridice respondere, an vero deliberatissime amantissimum et semper præsentissimum Deum graviter offendere, et in statu damnationis mancipium dæmonis permanere! Resp. Nihil aliud intendendo, quam veritatem dicere.

» 2. Interrog. Cur in priori constituto non responderit veridice, sed toties mentiri, et perjurare ausus sit? Resp. Ego nec mendacium nec perjurium feci, sed nudam dixi veritatem.

» Ad quod A. R. P. provincialis: Ecce hoc ipsum est gravissimum et apertissimum perjurium; cum nobis et ipsimet certo constet, illum in priori constituto et examine plura fecisse perjuriam. An non timeat sibi, ne ob tam deliberatam, et post tot correctiones, continuata gravissima peccata, Deus ipsum subito puniat. Ecce Charissime, etc., cesset itaque tam malitiose offendere Deum.

» 3. Interrog. Quid velint sibi illa verba (consultum est, ut hæc septimana adhuc simul discedamus) quoniam voluerint discedere? Resp. Ivissemus ad capellam Beatæ Virginis Mariæ media hora hinc distantem.

» 4. Interrog. Ad quid ergo verba sequentia (periculosum judicio diutius permanere)? Resp. Quia forsitan postea non amplius fuisset tam opportuna occasio.

» 5. Interrog. Quomodo quadret cum his, et quid velint verba statim sequentia (certe si manifestus fierem, in perpetuos carceres conjicerer)? Quid est illud, ratione cujus timet carceres perpetuos? Ad hoc reus diu respondere noluit, continuo autem urgenti responsum A. R. P. provinciali tandem respondit. Ipsemet, nescio, quare, vel quomodo hæc verba stulta scripserim, cum nullius mihi conscius sim.

» A. R. P. provincialis autem hoc responso minime contentus urgebat absolutum responsum: reus vero tacuit, et ad repetitas instantias denuo respondit: Quod dixi, dixi. »

437. Notandum hic, quod si reus vel omnino respondere recuset ad interrogatorium aliquod, vel non absolute respondere velit dicendo: Non recordor, non amplius scio, etc., vel remittit se ad priora dicta, vel vacillat, aut sibi hinc inde contradicit, possit sub carceris, aut alia pœna adigi ad abso-

lute, et simpliciter respondendum, adhibito tamen (præsertim si carcer imponitur) consilio discretorum, et facta protestatione, quod hoc præcise faciat, ut reum adigat ad debite respondendum, de quo vide Ludovicum de Ameno in *Formul. criminal.*, sect. V, num. 20, sic etiam ad propositum nostrum.

« Verum A. R. P. provincialis ulterius urgebat absolutum responsum, additis repetitis minis torturæ et aliarum pœnarum, quas minime curans reus quia nihilominus pertinax manebat, ideo salvus per omnia juribus curiæ hactenus acquisitis decrevit, prout præsentis decreto decernit cum consilio duorum assessorum, utpote alias discretorum conventus (si assessores non adessent) reum tandiu pane et aqua punire, donec ad prælatum interrogatorium absolute et simpliciter responderet. Addidit tamen A. R. P. provincialis, quod hanc torturam præcise ad hunc, et nullum alium finem adhibeat, ut reus debite respondeat. Acta sunt hæc die, mense, anno, loco. — Ego fr. N., assessor ita consului. Ego fr. N., assessor idem censui. Ego fr. N., minister provincialis. Ego fr. N., actuarius.

» Reus vero prælecta sibi responsa subscribere jussus, et dimissus est eodem tempore, et loco. — Ego fr. Mævius confirmo, ut supra. Ego fr. N., assessor. Ego fr. N., assessor. Ego fr. N., minister provincialis. Ego fr. N., actuarius. »

Imposita reo pœnitentia per modum torturæ potest judex aliquo tempore, juxta arbitrium suum expectare, et videre, an non ipse respiscat: in sua autem pertinacia permanentem postea iterum vocare, et examinare: quod si necdum debite respondeat, pœnas et torturas adhibito præfato consilio, et protestatione augere: ac si nec tunc quid efficit, hoc interrogatorium ad torturas majores post datas defensiones adhibendas differre, interea autem ad alia interrogatoria pergere, cuncta vero, quæ fiunt per notarium actis inseri debent: sic ad easum nostrum.

« Post duos dies A. R. P. provincialis, videlicet mensis, anni denuo, et sic tertio constituit reum, illumque præstito prius juramento de dicenda veritate interrogavit, an

velit modo parere, ac debite respondere ad nuperum interrogatorium, videlicet, quid sit illud, ratione cujus timet perpetuos carceres? Resp. Rogo, dignetur mihi A. R. Paternitas legi facere meam responsionem ad hoc interrogatorium nuper datam.

» Cum autem ei in hoc deferre nollet A. R. P. provincialis, dixit reus: Ergo remitto me ad priora dicta.

» A. R. P. provincialis ulterius instabat, sæpiusque monuit, et minatus est adhuc graviolem pœnam et torturam, nisi debite responderet; sed nil effecit, reo permanente in suo antiquo responso dicendo: Jam respondi, quod dixi, dixi. Hinc eundem iterum dimisit prius jussus, ut prælectam hodie nam responsionem subscriberet. — Ego fr. Mævius confirmo ut supra. Ego fr. N., assessor. Ego fr. N., assessor. Ego fr. N., minister provincialis. Ego fr. N., actuarius.

» Discedente reo A. R. P. provincialis cum duobus assessoribus consilium inivit, quid cum reo incipiendum esset, et consultatione facta decrevit, prout præsentis decreto decernit, reum diutius adhuc torquere pane et aqua, addita etiam pœna NN. Acta sunt hæc die, loco, quo supra. — Ego fr. N., assessor consului. Ego fr. N., assessor ita suasi. Ego fr. N., minister provincialis. »

Notatur etiam, et actis inseritur executio pœnæ facta.

« Elapsis postea tribus diebus, reus iterum vocatus apparuit coram A. R. P. provinciali, et præmissa zelosa exhortatione minis variis mixta, præstitoque per reum juramento fuit interrogatus: an necdum timeat Deum, et in sua pertinacia, ac perjuriis responsionibus persistere, an vero sincera confessione Deum et judicem placare, sibi que hic et in æternum consulere vellet? Reus vero loco responsi partim lacrymans, partim indignans conquestus est, non christiane, sed tyrannice secum agi, dum jam per quinque dies non nisi panem et aquam gustaverit, et insuper illam gravissimam NN. pœnam sustinere debuerit.

» Ad quod A. R. P. provincialis, esse in sua potestate, quavis hora liberandi se ab his pœnis, dummodo ad interrogatorium propositum debite respondeat, quidnam scilicet sit illud, ratione cujus timet perpetuos carceres? Resp. Jam respondi, non possum aliter respondere.

» Interrogatus, an non propterea timeat perpetuos carceres, quia furando calices, et monilia Beatæ Virginis Mariæ gravissimum morte dignum commisit sacrilegium? Resp. Nil minus, quam ratione hujus timeo; in hoc enim tam innocens sum, sicut infans adhuc uberibus matris adhærens.

» Interrogat. Quomodo possit negare, cum fuerit visus furans præfata monilia et calices? Resp. Nequam et mendax est, qui dixit, me furatum fuisse ista, reservo mihi contra illum jura mea.

» Interrogat. Qua fronte et præsumptione alios insimulare, et se innocentem dicere audeat? cum per testes et indicia convictus sit hujus furci. Resp. Fit mihi injuria, innocens enim sum.

» Interrogat. Quid dicturus sit, si testes in faciem ei dicant, quod hæc furatus sit, et quid, si ille quoque per quem misit præfata furtiva ad puellam Bibianam? Et quid, si ipsamet Bibiana totam rei seriem jam manifestasset, et in faciem exprobrare parata esset? Resp. Omnes mentiuntur. Ego sum innocens.

» Tunc A. R. P. provincialis de novo zelose adhortatus est eum, ut desisteret a tam mendaci, perjura, et malitiosa simulatione; admonuit eundem miserrimi status in quem se conjiceret, et crederet, quod per media reo adversa magis se intricet, quam extricet, et penas non evadat, vel minuatur, sed augeat. Fore enim, ut tanquam convictus consequenter gravius condemnatur, si sponte fateri nolit. Verum surdo cecinit; reus enim nil aliud respondit, quam: Sum innocens. Hinc videns A. R. P. provincialis, se nil efficere, decrevit audientes illum pro nunc dimittere, et opportuno tempore facere, quæ sunt juris: prius autem jussus fuit subscribere prædictam sibi depositionem. Acta sunt hæc die, mense, anno, loco. — Ego fr. Mævius N., confirmo, ut supra. Ego fr. N., assessor. Ego fr. N., assessor. Ego fr. N., minister provincialis. Ego fr. N., actuarius.»

DE CONFRONTATIONE REI CUM TESTIBUS.

438. *Judex potest, sed non tenetur reum confrontare cum testibus: quando expediat?* — Si judex nil efficit suis monitionibus et minis, reo in suis negativis semper permanente, potest adhiberi confrontatio rei cum testibus: quamvis hæc rei confrontatio cum testibus non facile sit adhibenda in processu

regularium, ubi testes ordinarie debent manere occulti; nec judex reo in negativis permanente teneatur confrontare ipsum cum testibus, etiamsi id reus petat, sed sit in arbitrio ejus; tamen si inde sperat effectum, adhibere eam potest etiam judex regularis præsertim in casu, quo testis nil habet timere a reo, simulque promptus est ad illam, etc.

439. *Quomodo fieri debeat confrontatio hæc?* — Ut autem debite fiat, debet fieri antequam reo detur copia actorum; quia est pars examinis non rigorosi, ante quod completum, reo non dantur defensiones. Item debet judex prius de illa adhibenda facere decretum; dein vocare adhuc semel reum, et illum interrogare, an in suis negativis persistat, postea mandare, ut introducantur testes (et quidem unus post alium, si plures sunt confrontandi) introductus ponatur contra faciem rei, et in illius prospectu deponat juramentum de dicenda veritate: quo præstito reus et testis unus post alium interrogentur, an se noscant invicem? postea examinatur reus, etc. Omnia patebunt in casu nostro.

440. *Forma et praxis confrontandi.*

« Cum A. R. P. provincialis videret, se monitionibus suis nihil efficere, sed reum in negativa circa principalem articulum, de furto calicum et monilium pertinaciter permanere, perjuræ, et Dei offensam multiplicare, decrevit, prout præsentis decreto decernit, confrontare reum cum teste Fr. Justo, qui ex proprio visu, et auditu deposuit de furto præfato, præsertim quia hic omnino paratus est ad eam, reus vero eam timere videntur.

» Consequenter denuo vocavit, et coram se constituit reum, eumque præmissa adhortatione convenienti, imposito et per reum præstito juramento interrogavit, ut sequitur.

» 1. Interrogat. An necdum confiteri velit, quod ipse furatus sit calices et monilia? Resp. Non possum fateri; quia non possum mentiri.

» 2. Interrogat. Quomodo possit negare, cum fuerit in flagranti deprehensus? Resp. Fit mihi injuria.

» 3. Interrogat. Qua fronte negavit, si testes omni exceptione majores in faciem ejus id testentur? Resp. Bona conscientia non poterunt dicere.

» Videns itaque A. R. P. provincialis se nil efficere, vocavit imprimis Fr. Justum N. supra jam exat inatum, qui monitus et jurare jussus, præstito juramento, contra faciem rei positus deposuit, ut sequitur.

» Interrogat. An noscat sibi astantem, et sciât quomodo vocetur? Resp. Utique nosco, est Fr. Mævius.

» Interrogat. In causa scientiæ? Resp. Quia jam per duos annos simul sumus de familia.

» Tunc A. R. P. provincialis conversus ad reum interrogavit ipsum, an noscat hunc coram se stantem virum? Resp. Optime nosco.»

Casu quo reus negaret, se noscere, non impedit, quin pergere possit judex, si manifestum est, quod illum noscat.

« Postquam reus et testes, se invicem noscere fassi sunt, A. R. P. provincialis rursus ad testem.

» Interrogat. An hic coram se existens sit ille ipse, de quo nuper in examine jurato deposuit? Resp. Is ipse est.

» Interrogat. An in illo examine veridice deposuerit? Resp. Utique, est enim gravissima res.

» Interrogat. An recordetur, quod nuper deposuerit Fr. Mævium furatum esse calicem et monilia, et quidem his formalibus: Prælegi testi formalia depositionis suæ nuper factæ ad interrogatum 3, super articulo 8. Quo percepto? Resp. Omnino recordor.

» Interrogat. An vera sunt ista, quæ deposuit reverentia vestra? Resp. Verissima sunt, et sicut nuper jam sub juramento, sic etiam modo jurato affirmo, et desuper mori volo.

» Tunc A. R. P. provincialis ad reum conversus interrogavit eum: Quid modo ipse dicit?»

Notandum, quod durante confrontatione actuarius cuncta notare, et scribere debeat, responsiones rei, replicationes testis, verba, motus, gestus, et alia ad rem facientia accidentia tam rei, quam testis; sicut in casu nostro.

« Resp. Reus. Mentitur, et gravissime mihi detrahit.

» Fr. Justus N. vero, clarissime Fr. Mævi, putasne, me deliberate velle committere gravissimum peccatum mortale, dicendo talia de ipso, si non scirem?

» Fr. Mævius, si nunquam peccavit graviter, modo peccavit, tamen graviter mentiando.

» Fr. Justus N. amore Dei, quomodo potest negare? Nonne ipsum deprehendi, dum in cella volebat involvere et mittere ad Bibianam? Nonne statim flexis genibus me rogavit, ne ipsum manifestarem? Nonne ipsum fui adhortatus, ut a lurida et tepida sua vita aliquando desisteret, et ablata in secreto statim iterum restitueret? Ipse vero omnia facturum se promisit; dummodo non manifestaretur.

» Hæc dum Fr. Justus N. serena mente, cordate, et sine mutatione coloris aut vultus diceret, Fr. Mævius mutato subinde colore vultus Fr. Justum N. aspicere non audebat, sed in terram, vel ad latus respiciens, dicebat: Sunt mera mendacia, sunt mera mendacia: loquitur ex odio et passione.

» Fr. Justus N. Quomodo ex odio? tamen per totum annum nec verbo, nec facto offendimus invicem; imo speciali charitate et condolentia semper prosecutus sum eundem.

» Fr. Mævius: Quidquid sit: modo mentitur.

» Tunc A. R. P. provincialis: Miserrime mortalium, quousque malitia sua eum deducit, ut non expavescat, continuis et gravissimis perjuriarum peccatis mortalibus offendere præsentem Deum, qui in ictu oculi potest ipsum perdere in gehennam? Resipiscat aliquando, et det gloriam Deo, fateatur humillime suam culpam: Ecce vultus et omnia ipsum produunt: Ecce non audet aspicere aliquem.

» Fr. Mævius vero solum dicebat: Sum innocens.

» Fr. Justus N. e contra, quæ dixi, verissima esse, jurato repeto, Deumque judicem justum denuo in testem invoco, et desuper mori volo.

» Fr. Mævius, et ego mori volo. Cum itaque uterque in suo dicto persisteret, et A. R. P. provincialis cum reo etiam hoc medio nil effici cerneret, ambos dimittere, et ulterius, prout juris, progredi decrevit: dato prius ambobus mandato, ut depositionibus sibi prælectis subscriberent. Acta sunt hæc die, mense, anno, loco. — Ego Fr. Mævius confirmo ut supra. Ego Fr. Justus N. ita deposui. Ego Fr. N. assessor. Ego Fr. N. assessor. Ego Fr. N. minister provincialis. Ego Fr. N. actuarius.

DE CONCEDENDIS ET ADMITTENDIS PATRONO, PROCURATORE ET DEFENSIONIBUS.

441. *Finito examine rei, sive confessus, vel convictus sit, sive non, debet iudex reo etiam non petenti offerre patronum, et defensiones, easque concedere; nisi eisdem sponte renuntiet.*

— Examine rei finito debet iudex reo offerre patronum, seu advocatum ex ordine tamen, et defensiones cum competenti termino trium, vel quatuor dierum, assignato pro quavis spatio trium dierum v. g. Quæ oblatio fieri debet, etiamsi reus jam confessus, et convictus esset; nisi ipsemet patrono, et defensionibus sponte renuntiet; quam renuntiationem iudex non facile, vel statim recipere, sed oblationem adhuc repetere debet assecurando, quod libentissime audire et examinare velit, quidquid pro sua defensione attulerit. Quo facto, si reus nihilominus in sua renuntiatione manet, eam acceptare, et ad sententiam progredi poterit.

442. *Reus potest etiam ex alieno conventu, imo et provincia petere patronum, si causa esset valde ardua: sæcularis vix concedi debet.*

— Cæterum patronum etiam ex alio conventu, imo exigentibus circumstantiis, et gravitate causæ etiam ex alia provincia, raro autem sæcularem sibi ipsi eligere poterit reus, quem electum iudex admittere et deputare, eique iuramentum de officio fideliter exequendo offerre debet.

443. *Si ipse reus vult facere suas defensiones, loco advocati petere potest procuratorem.* — Si reus ipsemet defensiones suas facere, et loco patroni seu advocati procuratorem petit, ei etiam deferri debet.

Forma autem offerendi, et deputandi patronum, ac defensiones patebit ex sequentibus casus nostri.

444. *Forma offerendi, deputandi, acceptandi patronum et defensiones.*

« Cum ex acitatis huc usque contra Fr. Mævium accusatum de delictis, prout supra in libello accusationis, tales emergerint probationes, et indicia, ut verisimiliter appareat, ipsum revera commisisse delicta, de quibus accusatus fuerat; quia vero reus principalia delicta, videlicet sacrilegia, furta monilium e statua Beatæ Virginis Mariæ pendentium, et calicem constanter negat, uti patet ex actis, A. R. P. provincialis ordinem juris servare volens, eundem in rigoroso examine

per torturam constituere decrevit. Quoniam vero tortura adhiberi nequit ante datas et concessas reo defensiones, hinc ulterius decrevit, prout præsentis decreto, decernit, memorato reo offerre patronum, et copiam actorum (absque tamen nominibus accusatoris et testium) cum spatio octo dierum ad hoc, ut intra hoc spatium quidquid pro innocentia et defensione sua conducere putaverit, producere valeat: vel, si mavult loco copię actorum per suum patronum lustrare in camera nostra ipsum processum originalem, id etiam concedit; habitis tamen prius a reo pro recte receptis, et examinatis, salvisque exceptionibus et repetitione, etc., ac sine præiudicio deterioris processus et examinis; hoc, et omni meliori modo, etc. Datum die, mense, anno, loco. » — Ego Fr. N. minister provincialis. Ego Fr. N. actuarius.

Si ex actis apparet, reum jam esse confessum, et plene convictum de crimine, consequenter tortura necessaria non sit, tunc conformiter circumstantiæ mutatis mutandis fit decretum præfatum v. g.

« Etsi ex acitatis huc usque liquide constet, reum Fr. N. jam esse confessum, vel convictum de crimine N. volens nihilominus A. R. P. provincialis ordinem juris servare, decrevit, prout, etc. ut supra. »

Potest etiam unico decreto tres dilationis terminos simul concedere, v. g. cum spatio duodecim dierum, ita ut quatuor pro uno, alii quatuor pro secundo, ultimi quatuor dies pro tertio dilationis termino peremptorie serviant.

Decretum dein potest iudex vel ipse reo præsentis oretenus intimare, vel eidem per notarium notificare. Quidquid fit, inseritur actis v. g.

« Præfatum decretum per me infra scriptum fuit intimatum reo die, mense, anno, loco. » — Ego Fr. N. actuarius.

445. *Si reus renuntiat defensionibus repetita vice, acceptatur et actis inseritur.* — Si reus renuntiat patrono, et defensionibus repetita vice oblati, diligenter inserendum est actis: Si vero reus acceptat, debet sibi patronum eligere, et coram iudice manifestare, iudex vero acceptare sequenti forma.

« Anno, mense, die, loco, comparuit coram A. R. P. provinciali Fr. Mævius N. et gratis actis pro oblati patrono, et defensionibus, ac termino concesso, omnia acceptavit, et in patronum suum elegit P. Justinianum N. theologiæ lectorem, cujus electionem A. R. P. provincialis acceptavit, et memoratum P. Justinianum N. reo in patronum indulisit. » — Ego Fr. Mævius acceptavi, nominavi. Ego Fr. N. minister provincialis. Ego Fr. N. actuarius.

446. *Patronus a reo nominatus vocatur ad iudicem, et si acceptat munus, debet jurare de officio fideliter exequendo.*

« Postea vocatus coram A. R. P. provinciali comparuit P. Justinianus N. theologiæ lector, et fuit ei intimatum, quatenus illum Fr. Mævius in advocatum elegerit in causa criminali, quæ actitur contra ipsum, hinc interrogatus, num onus acceptare velit? Et respondente ipso affirmative, A. R. P. provincialis eidem iuramentum de officio fideliter exequendo obtulit, quod ipse tacto pectore etiam præstitit. Acta sunt hæc die, mense, anno, loco. » — Ego Fr. Justinianus N. acceptavi et iuravi. Ego Fr. minister provincialis. Ego Fr. N. actuarius.

447. *Si nominatus patronus ex causa rationabili munus recusat, alium concedere debet iudex; si vero ex causa insufficienti recusat, illum instante reo compellere debet ad acceptandum.* — Si nominatus patronus officium ex causa rationabili et legitima, v. g. quia actu docere, vel conciones inevitabiliter habere deberet, reus autem est in alio conventu, ad quem patronus conferre se deberet, debet reus alium nominare, et quod fit, actis inseri.

Si vero absque rationabili causa recusat, v. g. quia hoc officium est ei odiosum, vel quia non vult se reddere odiosum, vel quia deberet multum temporis insumere, etc. debet iudex, si reus instat, recusantem sub pœnis juris compellere ad munus acceptandum. Formam talis compulsionis vide apud Ludovicum de Ameno, in *Formul. criminal.* sect. VI, n. 7.

Non videtur causa sufficiens ad recusandum munus advocati, seu patroni, quod quis dicat, se non esse versatum in jure, nec juri studuisse, neque habere praxin ullam in hac re, debere primum diu studere; si reus hæc omnia jam scit, et ipsum

elegit; quia sibi computare habet reus, quod talem et non alium eligat. Debet tamen dein taliter electus studere, legere et peritiores etiam (si ad manus nabeat) interrogare, ut officio suo rite satisfacere queat. Serviunt pro hoc libri praxin criminalem tradentes, inter quos ad hominem omnino est Ludovicus de Ameno, in *Practic. criminal.* Serviet etiam, si legit ea, quæ hic pro praxi damus.

448. *Patrono acceptanti munus, consignat actuarius copiam actorum; prius tamen a se authenticatam. Et quomodo?* — Postquam patronus acceptavit munus, et iuramentum de officio suo fideliter exequendo præstitit, debet eidem vel ipsi reo, aut procuratori ipsius, si advocatum nolens, se ipsum defendere vult reus, actuarius dare copiam actorum (nisi potius patronus velit lustrare originalem processum) copiam a se prius authenticatam, ita tamen, ut in copia occultet nomina accusatoris, et testium: potest etiam brevitate causa omittere ea, quæ reum non gravant, nec ad defensionem ejus serviunt. Cæterum collationem et authenticationem facit sequenti forma, legit nempe solus, aut cum alio de verbo ad verbum, et confert cum originali copiam a se, vel alio descriptam, et subscribit eidem, ut sequitur.

« Supra scripta copia fuit de verbo ad verbum cum originali per me infra scriptum collationata, et in omnibus, quantum de jure, concordat. In quorum fidem, etc. » — Ego Fr. N. actuarius.

Dein consignat patrono rei, vel ipsimet reo, vel procuratori illius, factamque consignationem, et tempus illius inserit actis.

« Anno, mense, die, loco, per me infra scriptum actuarius fuit P. Justiniano N. patrono vel procuratori Fr. Mævii præsentata copia actorum de verbo ad verbum collationata, et authenticata, qui eam recepit reservatis sibi de jure reservandis, in quorum fidem, etc. » — Ego Fr. Justinianus N. patronus, vel procurator. Ego Fr. N. actuarius.

DE HIS, QUÆ AGERE DEBET PATRONUS, VEL PROCURATOR, AUT ETIAM REUS PRO DEFENSIONE CAUSÆ.

449. *Advocatus seu patronus debet ex actis, et reo se bene informare in causa; et si necesse*